

quis in offensa Dei eo vsq; procedit vt contemnat, transgrediatuq; præceptū sicq; mortaliter suum offendat creato rem, etiam contra hanc animæ mortē penitentiæ remedium ordinauit, quo poterit homo si voluerit resurgere, & iterum secundum animam viuificari, & hoc quotiescunq; sicut ait per Eze. 18. Si impius penitentiam egerit vita viuet, & non morietur. Et Petro mandauit fratri offendenti non septies, sed septuagiessepties indulgere. Matth. decimo octauo.

Si deniq; iugum legis euangelicæ ad legem Moysaïcam comparatur, apparebit eius facilitas in multis, quoniam & si moralia eadem sint apud nos, & illos licet apud nos perfectiora, vt dicit Magister dist. vltim. tertii tamen liberati sum? & à cerimonialib?, & à iudicialib? quæ apud illos plurima fuerunt, & graua. Nam dicit beatus Augustinus ad inquisitionem Ianuarij, & allegat Scotus dist. vltim. tertij. q. Rabbi Moyses enumerauit præcepta legalia plus quàm 660. ad quæ omnia illi tenebatur, quorum quedam erant valde difficilia, puta præceptum Circumcisionis in tam tenera ætate, quodq; ter in anno omnis masculus appareret in Hierusalem quantumcunq; distaret, & septimum annum sabbatizare, & in nullo terrâ non colere. Propter quod oportebat duobus annis à collectione fructuum vacare, & multa alia. Vnde Petrus: Act. 25. Quare vultis inquit discipulis imponere onus graue, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus. Lex autem noua sicut vbi supra Aug. ait paucis & manifestis sacramentorum ritibus est contenta. Non enim habet lex noua nisi septem sacramenta, quæ tamen non omnibus christianis sunt necessaria, quia non omnes matrimonium contrahunt, nec omnes ordinem suscipiunt. Sed necessaria sunt baptismus & post baptismum, & lapsus in mortale peccatum penitentia. Et licet difficilis videtur in nostra lege sacramentalis confessio, difficile quidem videtur aliter peccata sua soli Deo, & sibi nota

homini reuelare, sed ibi adhibita sunt tot remedia q; propter talem reuelationem non oportet eum confundi, obligatur enim audiens ad maximum sigillum secreti. Alia sacramenta sunt baptismus, & penitentia, vel non sunt necessaria, vel si sunt, satis sunt facilia, puta cōfirmatio, eucharistia, extrema vñctio. Hæc Scotus vbi supra Sed & in hoc do minus ad misericordiam legis duritiã inflexit, vt dicit Grego. homil. 33. quia quos iuste illa damnat, ipse misericorditer liberat. In illa quippe scriptum est. si quis hæc, vel illa fecerit, morte moriatur, si quis hæc & illa fecerit, lapidibus obruatur. Apparuit conditor noster in carne confessioni peccatorum non penam, sed vitam promittit. Quod bene in lege figuratum est. Exod. 17. vbi scribitur. Manus Moysi erant graues, summes ergo lapidem posuerunt, in quo sedit. Aaron & Hur sustentabant manus eius. Moyses sedit in lapide, cum lex requieuit in ecclesia. Sed hæc eadē lex manus graues habuit, quia peccantes non misericorditer pertulit, sed seuera diffractione percussit. Aaron verò mons fortitudinis. Hur autem ignis interpretatur. Quem itaq; mons iste fortitudinis significat nisi redemptorē nostrum? De quo per prophetam dicitur Esai. 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium. Aut quis per ignem, nisi spiritum sanctum figuratur? De quo idem redemptor dicit. Ignem veni mittere in terrâ: Lucæ 12. Aaron ergo & Hur graues manus Moysi sustinet, atq; sustinendo leuiore reddunt. Quia mediator Dei, & hominum cum igne spiritum sanctum veniens, mandata legis graua, quæ dum carnaliter tenerentur, portari non poterat, tolerabilia nobis per spiritualem intelligentiam ostendit. Quasi enim manus Moysi leues reddidit, qui pondus mandatorum legis ad virtutem confessionis retorfit. Hæc Grego. Ecce patet leuitas iugi domini, & ex paucitate præceptorum cum mnumera præcipere potuisset, & ex facili transgressionis venia, quam in æternum

Facilitas  
Dei est in  
nos ma-  
xima.

Lex vetus  
grauissima.

Lex noua  
est facili-